26. *Song schu*. Tab. 302. Fig. 4. Species sciuri. *Boym* Flora Sinens
Viennae, 1656. fol. tab. 20.

PECORA. 27. Camelus bactrianus, tophis dorsi duobus. Tab. 290. ubi
Fig. 3. duo ungues bene exprimuntur.
28. Moschus Grimmia. Tab. 296. Fig. 3.
29. *Lu pa*, cervus magnus. Tab. 296. Fig. 1.
30. Capreolus sinensis. Tab. 296. Fig. 1.
31. *Jâng*. Capra vulgaris. Tab. 289. Fig. 1.
32. *Hoang jâng*, capra flava. Tab. 289. Fig. 3.
33. *Schan tschi*. Tragelaphus *Bellonii*. Tab. 295. Fig. 3.
34. Antilope leucophaea? *Pallas*. Tab. 295. Fig. 1.

In genere caprarum dominatur character *jâng*, capra. Ut vero species Antiloparum designem, eligo characteres *cornu*, *niger*, *tortuosum*.

35. *Lu ki* cervus humilis. Tab. 296. Fig. 4.
36. *Njeu ta*. Bos magnus. Bos indicus *Linn*. Tab. 290. Fig. 2.
37. Vaccae pilosae species. Tab. 294. Fig. 4.
38. *Njeu cèw?* Vacca velox. Unicornis. Tab. 294. Fig. 2. Vid. *Der Naturforscher*, 7. Stück, pag. 43. et Memorabil. Biblioth. Nor
P. III. pag. 218. seq.

BELLVAE. 39. *Ma*. Equus. Tab. 290. Fig. 4.
40. Mulus sinensis. Tab. 290. Fig. 1.
41. *Schi*, Tab. 289. Fig. 2. Sus vulgaris. Discrepat a specie sequenti.
42. Sus chinensis Linn. Tab. 295. Fig. 2.

*Schi* est clavis generis suum, quae semper adiungitur characteribus combinatis, ut species distinguantur.

*Si quid novisti rectius istis,*
*Candidus imperti; si non, his utere mecum.*

HORAT.

*Qua*

*Quadrupedum Sinicorum Diſpoſitio, methodo Linnaeanae accommodata. Auct. C. T. de Murr.*

1 狒狒
2 猩猩
3 狨
4 果然
5 獼猴
6 猨
7 伏翼
8 鸓鼠
9 象
10 膃肭獸
11 狗
12 風貍
13a 鼬鼠
13b 水獺
14 獾
15 狼
16a 虎
16b 豹
17 靈貓
18 貍
19 貓
20 木狗
21 兔
22 鼠
23 黃鼠
24 鼷鼠
25 鼵鼠
26 鼦鼠
27 駝
28 麝
29 鹿
30 麞
31 羊
32 黃羊
33 山羊
34 麢羊
35 麃
36 牛
37 犛牛
38 犀
39 馬
40 驢
41 豕
42 豪豬

*Pag.* 164. *lin.* 7. *a fine* Vasari; add. Tom. III. edit. Florent. 1771. pag. 24.

*Pag.* 165. *lin.* 3. add. *Mémoires de la Faculté de Montpellier*, à Paris 1767. 4. pag. 32.

*Ibid. med.* lege: Bononiae 1476. 4. et iterum eodem anno Venetiis. Cum *Georgii Merulae* Refutatione obiectorum in librum de homine, Mediolani 1490. fol. et iterum ibid. 1499. fol.

*Pag.* 167. *lin.* 4. *a fine. Cellinus* — laudat. *add.* In Vita sua manu scripta, quam edidit Musicus *Caietanus Bernstatt;* in *Colonia* (Neapoli) 1730. 4. mai. pag. 32 et 33 ita depingitur *Berengarius: Capitò a Roma* (1523) *un grandissimo Cerusico, il quale si domandava Maestro Jacomo da Carpi; questo valentuomo infra gli altri sua medicamenti, prese certe disperate cure di mali francesi. Aveva questo valentuomo molta intelligenza di Disegno. Passando un giorno a caso dalla mia bottega, vide a sorta certi disegni, ch' io avevo innanzi, infra quegli erano parecchi bizzarri vasetti, che per mio piacere avevo disegnati: questi tali vasi erano molto diversi e varj da tutti quegli, che mai s' eran veduti insino a quella età. Volle il detto Maestro Jacomo ch' io gliene facessi d' argento, i quali io feci oltremodo volontieri, per essere secondo il mio capriccio. Contuttochè il detto valentuomo molto bene me gli pagasse, fu l'un cento maggiore l' onore che mi apportarono. — Io non gli ebbi si tosto forniti, che quest' uomo gli mostrò al Papa,* (Clemente VII.) *e l'altro dì dappoi s' andò con Dio. Era molto litterato, maravigliosamente poi parlava della Medicina. Il Papa volle, ch' egli restasse al suo servizio, e quest' uomo disse, che non voleva stare al servizio di persona del mondo, che chi aveva bisogno di lui, gli andasse dietro. Egli era persona molto astuta, e saviamente fece a andarsene di Roma, perchè non molti mesi appresso tutti quegli, ch'egli aveva medicato, si condussero tanto male, che certo stavan peggio che prima; sarebbe stato ammazzato, se fermato si fosse. Mostrò gli mia vasetti al Duca di Ferrara e a molti altri Signori, — e disse, ch' e' gli aveva avuti da un gran Signore in Roma, dicendo a quello, se egli voleva esser curato della sua infirmità, voleva quei due vasetti: e che quel tale Signore gli aveva detto, ch' egli erano antichi, e che di grazia gli chiedesse ogni altra cosa, la quale non gli parebbe grave a dargliene, purchè que' gliene lasciasse: di che aver fatto sembiante non voler medicarlo, che però gli ebbe.* Pag. 195 iterum de fraudulentia Berengarii loquitur ad a. 1540. Cellinus: *Questo è un boccaletto d'argento di tanto peso, il quale io lo feci nel tal tempo* (1523) *a quel ciurmadore di Maestro Jacopo, Cerusico da Carpi, il quale venne a Roma, e vi stette sei mesi, e con una sua unzione imbrattò di molte decine di signori e poveri gentiluomini, da' quali e' trasse molte migliaia di ducati, in quel tempo che gli feci questo vaso, e un*

*altro*

*altro diverso da questo, ed egli me lo pagò l'uno, e l'altro molto male; e ora sono a Roma tuttiquanti sventurati, ch' egli unse, stroppiati e malcondotti.* Gabr. Falloppia de morbo gallico, cap. 76: Prima ratio empirica, qua sanatus est morbus in Italia, fuit ab argento vivo sumta. — Et feliciter quidem: unde multi divites facti sunt. Inter quos *Iacobus* ille *Carpensis*, cum solus calleret secretam hanc medicinam, ita opulentus redditus est solo isto quaestu, ut testatus fuerit numeratam pecuniam 40000 scudatorum, praeter argenteam materiam: quae omnia Duci Ferrariensi reliquit: omnis enim aqua ad mare currit. Hic ita erat infensus Hispanis, ut cum esset Bononiae, geminos ex iis laborantes morbo gallico ceperit, et vivos anatomicis administrationibus destinaverit; qua de re profligatus Ferrariae obiit (circa 1531).

*Pag.* 172. *lin.* 8. lege prima Antverpiae 1530. 4. Coloniae 1531. 8. quas editiones ipse habeo. Conspectum omnium editionum Operum H. C. Agrippae dedi in Tom. I. pag. 58—86. novi mei Diarii litterarii, Lips. 1798. 8.

*Pag.* 174. *lin.* 16. *Vesalio* et *Serveto;* add. Ita *Guinterus* in Institutionibus anatomicis, Basil. 1539. 4. in praefatione: *Caterum quod ad partes meas attinet, commentarium hunc ante annos aliquot editum, multis denique consectionibus administratis, et sedula partium inspectione, recognovi, auxi, et absolvi. Qua in re, non admodum sane facili, auxiliarios habui primum, Andream Vesalium. — — Post hunc* Michael Villanovanus *familiariter mihi in consectionibus adhibitus est, vir omni litterarum genere ornatissimus, in Galeni doctrina vix ulli secundus. Ipse* Servetus *in Syruporum universa ratione cet. Paris.* 1537. 8. *min. pag.* 68*:* Hunc locum (*Galeni*) ita castigandum censebat diligentissimus ille Galeni restitutor *Guinterus Andernacus*, cum Graece loquentem Galenum publice apud Parisios enarraret. In edit. Veneta 1545 haec verba leguntur fol. 61. b.

*Pag.* 179. *lin.* 1. *et* 2. deleantur.

*Pag.* 199. *lin.* 18. post 1550. fol. *add.* Lugd. 1551. 8.

*Pag.* 203. *lin.* 12. Menelas etc. pertinet ad Saec. XVII.

*Pag.* 204. *lin.* 9. Christianismi restitutione *add.* Explicui rem litterariam huius libri omnium rarissimi, qui *Calvini* infami astutia et crudelitate mortem miserrimam Auctori suo peperit, et quem a. 1790 adcuratissime iterum edidi, in Diarii mei litt. T. 12. p. 346—373.

Mich.

Mich. Servetus*) minorem circuitum sanguinis adcurate descripsit, pag. 169—172 quem locum hic ex ipso textu impresso adcuratius exhibeo, quam ab aliis factum est.

*Pag.* 169. *Ut vero totam animae et spiritus rationem habeas, lector, divinam hic philosophiam adiungam, quam facile intelliges, si in anatome fueris exercitatus. Dicitur in nobis ex trium superiorum elementorum substantia esse spiritus triplex, naturalis, vitalis et animalis. Tres spiritus vocat Aphrodisaeus. Vere non sunt tres, sed denuo spiritus distincti. Vitalis est spiritus, qui per anastomoses ab arteriis communicatur venis, in quibus dicitur naturalis. Primus ergo est sanguis, cuius sedes est in hepate, et corporis venis. Secundus est spiritus vitalis, cuius sedes est in corde, et corporis arteriis. Tertius est spiritus animalis, quasi lucis radius, cuius sedes est in cerebro, et corporis nervis. In his omnibus est unius spiritus et lucis Dei energia. Quod a corde communicetur hepati spiritus ille naturalis, docet hominis formatio ab utero. Nam arteria mittitur iuncta venae per ipsius foetus umbilicum, itidemque in nobis postea semper iunguntur arteria et vena. In cor est prius, quam in hepar a Deo inspirata Adae anima, et ab eo hepati communicata. Per inspirationem in os et nares est vere inducta anima: inspiratio autem ad cor tendit. Cor est primum vivens, fons caloris, in medio corpore. Ab hepate sumit liquorem vitae, quasi materiam et eum vice versa vivificat; sicut aquae liquor superioribus elementis materiam suppeditat, et ab eis iuncta luce ad vegetandum vivificatur. Ex hepatis sanguine est animae materia, per elaborationem mirabilem, quaam nunc audies. Hinc dicitur anima esse in sanguine, et anima ipsa est sanguis, sive sanguineus spiritus. Non dicitur anima principaliter esse in parietibus cordis, aut in corpore ipso cerebri, aut hepatis, sed in sanguine, ut docet ipse Deus Gen.* 9. *Lev.* 17. *et Deutr.* 12.

*Ad quam rem est prius intelligenda substantialis generatio ipsius vitalis spiritus, qui ex aere inspirato, et subtilissimo sanguine componitur et nutritur. Vitalis spiritus in sinistro cordis ventriculo suam originem habet, iuvantibus maxime pulmonibus ad ipsius generationem. Est spiritus tenuis, caloris vi elaboratus, flavo colore, ignea potentia, ut sit quasi ex puriori sanguine lucidus vapor, substantiam in se continens aquae aeris et ignis. Generatur ex facta in pulmonibus mixtione inspirati aeris cum elaborato subtili sanguine, quem dexter ventriculus cordis sinistro communicat. Fit autem communicatio haec non per parietem cordis medium, ut vulgo creditur, sed magno artificio a dextro cordis ventriculo longo*

*) Inventor ex dodrante. Residua quarta pars Harveio est tribuenda. Guil. Hunter two Introductory Lectures etc. Lond. 1784. 4. mai. But providence, inquit, meant to reserve this honour to Harvey, and would not let men see what was before them, nor understand what they read.

*longo per pulmones ductu, agitatur sanguis subtilis: a pulmonibus praeparatur, flavus efficitur: et a vena arteriosa in arteriam venosam transfunditur. Deinde in ipsa arteria venosa inspirato aeri miscetur, exspiratione a fuligine repurgatur. Atque ita tandem a sinistro cordis ventriculo totum mixtum per diastolen attrahitur, apta suppellex, ut fiat spiritus vitalis.*

*Quod ita per pulmones fiat communicatio et praeparatio, docet coniunctio varia, et communicatio venae arteriosae cum arteria venosa in pulmonibus. Confirmat hoc magnitudo insignis venae arteriosae, quae nec talis, nec tanta facta esset, nec tantam a corde ipso vim purissimi sanguinis in pulmones emitteret, ob solum eorum nutrimentum, nec cor pulmonibus hac ratione serviret: cum praesertim antea in embryone solerent pulmones ipsi aliunde nutriri, ob membranulas illas, seu valvulas cordis, usque ad horam nativitatis nondum apertas, ut docet Galenus. Ergo ad alium usum effunditur sanguis a corde in pulmones hora ipsa nativitatis et tam copiosus. Item a pulmonibus ad cor non simplex aer, sed mixtus sanguine mittitur per arteriam venosam: ergo in pulmonibus fit mixtio. Flavus ille color a pulmonibus datur sanguini spirituoso, non a corde. In sinistro cordis ventriculo non est locus capax tantae, et tam copiosae mixtionis, nec ad flavum elaboratio illa sufficiens. Demum paries ille medius, cum sit vasorum et facultatum expers, non est aptus ad communicationem et elaborationem illam, licet aliquid resudare possit. Eodem artificio, quo in hepate fit transfusio a vena porta ad venam cavam propter sanguinem, fit etiam in pulmone transfusio a vena arteriosa ad arteriam venosam propter spiritum. Si quis haec conferat cum iis, quae scribit Galenus lib. 6. et 7. de usu partium, veritatem penitus intelliget, ab ipso Galeno non animadversam.*

*Ille itaque spiritus vitalis a sinistro cordis ventriculo, in arterias totius corporis deinde transfunditur, ita ut qui tenuior est, superiora petat, ubi magis adhuc elaboratur, praecipue in plexu retiformi, sub basi cerebri sito, in quo ex vitali fieri incipit animalis, ad propriam rationalis animae sedem accedens. Iterum ille fortius mentis ignea vi tenuatur, elaboratur, et perficitur in tenuissimis vasis, seu capillaribus arteriis, quae in plexibus choroidibus sitae sunt, et ipsissimam mentem continent. Hi plexus intima omnia cerebri penetrant, et ipsos cerebri ventriculos interne succingunt, vasa illa secum complicata et contexta servantes, usque ad nervorum origines, ut in eos sentiendi et movendi facultas inducatur. Vasa illa miraculo magno tenuissime contexta, tametsi arteriae dicantur, sunt tamen fines arteriarum, tendentes ad originem nervorum, ministerio meningum. Est novum quoddam genus vasorum. Nam sicut in transfusione a venis in arterias, est in pulmone novum genus vasorum, ex vena et arteria: ita in transfusione ab arteriis in nervos, est novum quoddam*

genus

*genus vasorum, ex arteriae tunica in meninge: cum praesertim meninges ipsae suas in nervis tunicas servent. Sensus nervorum non est in molli illa eorum materia, sicut in cerebro. Nervi omnes in membranarum filamenta desinunt, exquisitissimum sensum habentia, ad quae ob id semper spiritus mittitur. Ab illis itaque meningum seu choroidum vasculis, velut a fonte, lucidus animalis spiritus, veluti radius per nervos effunditur in oculos, et alia sensoria organa. Via eadem, vice versa, advenientes extrinsecus sensatarum rerum lucidae imagines, ad fontem eundem mittuntur, quasi per lucidum medium intro penetrantes.*

Pergit *Servetus* pag. 173 de cerebro disserere, cui pag. 302 originem motus voluntarii tribuit, ubi varia adfert egregia:

*Superest quaedam obiectio physica, quam contra Chrysippum prosequitur Galenus, in libris de placidis Hippocratis, et Platonis. Origo motus voluntarii videtur esse in cerebro, a quo procedunt nervi, et animales spiritus, in quibus est illa musculorum motrix, et spontanea facultas. Ibi etiam est mens et vis rationalis, ut multis ibi ostenditur: ergo non in corde. Respondeo, Externo ministerio et speculationi praeficitur cerebrum. Expectatur tamen semper cordis imperium et consensus: cuius voluntas, ut per cerebri ministerium post ratiocinationes intellectus suum velle concludit, ita per cerebri ministerium se foras exerit. Animales illi spiritus originem habent a vitalibus ex corde prodeuntibus, in quo est prima vitae, et animae origo. In maximis apprehensionibus, timoribus et doloribus, in corde maxime sentitur affectus, velut in principe loco. Ibi est animae et spiritus capacior locus, quam in cerebri vasculis. Illud verum est, quod cordis voluntas non ita imperat, ipsi intellectus rationi, quin ab ea etiam reprimatur.*

Princeps una animae facultas est in cerebro, ratiocinatio intellectus, ad quam veluti difficilem, in sublimi specula sitam, magno ingenio sunt varia organa facta. Alia est in corde simplex facultas, deliberatio voluntatis. *Non potest cor velle, nisi obiectum ei intellectus ministret, quia voluntas non fertur in incognitum, sicut et de incognitis nulla est fides. Imperat cor intellectui, quia ad cordis imperium intellectus se operi accingit, et intellectus ratio voluntatem cordis refrenat. Intellectus ea, quae sunt, vel apparent vera, persequitur: voluntas vero ea, quae bona. Voluntas per intellectum et sensum in res ipsas eadem via extrorsum tendit, qua res illae per sensum et intellectum ad se introrsum venerunt. Qua ratione dicitur vis illa volendi, et in intellectu esse, et in libero ipso singulorum sensuum motu: cum praesertim sit anima una, volens, intelligens, et sentiens. Sensus proprie non est ipsa organi passio, sed passionis dignitio, quae est in anima: ob idque eius postea recordatur anima. Ad eiusdem modum velle et intelligere est proprie in anima, non in organis cordis et cerebri: sed est in eis coniunctus quidam motus: sunt*

*prima*

*prima instrumenta, agentem ibi animam continentia, ob idque eis actio tribuitur. Sunt qui cordi solam tribuunt concupiscentiam malam et iracundiam. Sed illa est a serpente carni intruso, alliciente cor et voluntatem. — — Ex his omnibus, hoc in summa colligimus, a corde esse liberam voluntatem.*

Superioribus *Serveti* verbis iungo haec, e scheda autographa *Kantiana*, quam habeo: *Cognitionem universam duo repraesentationum genera constituunt:* Intuitus *et* Conceptus. *Quidnam putas sensus praestare, quid intellectum? — Nunc in quo consistit* summa *perfectionis cognitionis humanae? — In consensu harum facultatum, ut nempe, quae mente* concipiuntur, *perducantur ad* intuitum, *et quae* sensibus *subiiciantur, intelligantur per* conceptus, *c. g. in* Charact. *virtutum et vitiorum.*

In aliis locis multa adfert physiologica, et physica *Servetus*, u. g. de generatione et procreatione, pag. 179. 251. 255. 257. et 587. Errat tamen, quando pag. 479 animalia ex putredine gigni statuit: *Ea est,* inquit, *locustarum, et reliquorum ex putredine genitorum animalium natura, ut calidum et humidum ament tempus et locum, putredinis suae fomitem. In apricis quibusdam, sepibus et foveis generantur, nocturno seu nubiloso tempore coacervantur, et orto postea sole volant.* Idem fere dicit pag. 251: *Comprobat hoc solaris radius, qui de terrae limo animalia viventia procreat.* Talia plura cum somniis suis dogmaticis miscuit *Servetus*, ut mathematica pag. 121. et physica in diversis locis.

Sic de lucis natura coloribusque egit pag. 121. 151. 154. 155. 159. 201. 202; de principiis rerum naturalium, pag. 161; de anima, pag. 260. 261; de naturali actione, pag. 587. et in epistola sua ad Calvinum, e carcere m. Sept. 1553 data, ap. *Moshem.* Neue Nachrichten cet. pag. 102: *Quod te principia rerum ignorare dixi, tuo commodo factum est. Si vis nunc intelligere: Hoc est principium maximum, quod tu ignoras: Omnis actio fit per contactum.*

Miratus sum legendo *Serveti* verba pag. 256 et 257, quae melius docent, *adsimilari hominem plantae*, quam libellus *Iuliani Offroy*, vulgo *de la Mettrie* l'homme plante, (merum ludibrium) 1748. 12. Ita autem *Servetus* in Dialogo secundo de Trinitate, pag. 256: Petrus. *Quibus partibus magis assimilatur homo plantae?* Michael. *Sunt qui stirpis caput aiunt deorsum, et subterraneas radices esse veluti capillos. Alii cor plantae vocant in medio stipite. At vero in plantis nec sunt cordis, nec cerebri facultates, nec motus, sed solius hepatis. Non sunt in eis arteriae, nec nervi, sed nutritoriae venae. Sola est in stirpibus hepatis facultas, attractrix, nutrix, et ad certam metam auctrix. Venis ergo hepatis assimilatur homo plantae. Radices arboris sunt venae portae, ali-*

*alimentum trahentes. Quibus in unum coeuntibus sequitur truncus duplex venae cavae, deinde rami. Instar hepatis est crassum illud, quod ad radicem plantae vides, seu inter radicem et stipitem.* Petrus. *Estne in hepate anima vegetativa, ut in plantis, qua vivit embryo?* Mich. *In lingua sancta non dicitur anima, nisi ubi est respiratio. Ideo in plantis non dicimus animam aliquam. — — Vita in plantis dicitur non vita animae, sed vita formalis illius caloris* *), *ut in lucerna dicimus ignem vivere, seu extinctum esse.* cet.

Valde dolendum est, *Servetum* sese somniis deliramentisve theologicis dedisse. Tantus medicus, tantus anatomicus, tam magnis conatibus scientiae rerum naturalium operam navaverat.

*Pag.* 214. *lin.* 1. docuit, *add.* Buonarrotae amicissimus.

*Ibid. lin.* 24. quam Servetus. *add.* En locus memoratu dignus e *Realdi Columbi* Cremonensis; de re anatomica, Libris XV. **) Francof. 1590. 8. Lib. VII. pag. 327. 328. 330. „Scribunt Anatomici in hoc (pace eorum dixerim) parum prudentes harum arteriarum usum esse, ut aerem alteratum ad pulmones ferant, qui flabelli instar ventulum cordi faciunt, idque refrigerant, non cerebrum, ut Aristoteli visum est: existimantes iidem eas tunc fumos nescio quos capinosos (ita enim ipsi vocant linguarum ignoratione) excipere a sinistro ventriculo profectos: quod commentum non dici posset, quam ipsis placeat: quippe qui certo existimant in corde ea fieri, quae in caminis assolent: quasi in corde viridia ligna existant, quae dum cremantur, fumum edant: atque hactenus de harum usu iuxta aliorum Anatomicorum sententiam. Ego vero oppositum prorsus sentio: hanc scilicet arteriam venalem factam esse, ut sanguinem cum aere a pulmonibus mixtum afferant ad sinistrum cordis ventriculum. Quod tam verum est, quam quod verissimum. — Duo vasorum constructa sunt, ut intro ad cor deferant, hoc autem evenit, dum cor dilatatur: duo vero alia, ut, dum cor constringitur, foras deferant. Idcirco quando dilatatur, sanguinem a cava vena in dextrum ventriculum suscipit, nec non ab arteria venosa sanguinem paratum, ut diximus, una cum aere in sinistrum: propterea membranae illae demittuntur ingressuique cedunt: nam dum cor coarctatur, hae clauduntur; ne quod suscepere, per easdem vias retrocedat, eodemque tempore membranae tum magnae arteriae, tum venae arteriosae recluduntur,

*) Femina quoque Hispana, Oliva Sabuga, docuit, hominem esse inversam arborem, succumque nervorum totum corpus alere; in Conocimiento de si mismo etc. Madrid 1588. 4. et sub tit. Nueva Filosofia del Hombre; en Barcelona 1622. 8. Madrid 1728. 4.

**) Dicati Paullo IV, P. M. qui sedit ab a. 1555. ad 1559. quo anno Venetiis typis mandati fuere.

tur, aditumque praebent spirituoso sanguini exeunti, qui per universum corpus funditur, sanguinique naturali ad pulmones delato: tres itaque semper habet, cum dilatatur, quas prius memoravimus, recluduntur, clauduntur reliquae: itaque comperies sanguinem, qui in dextrum ventriculum ingressus est, non posse in cavam venam retrocedere. Ex hac doctrina collige cor nullo pacto id membrum esse, in quo sanguis gignatur, quemadmodum sensit Aristoteles, cum a vena cava ſanguis distribuatur: estque hoc admirabile, maximaque arte fabrefactum. Libr. XI. pag. 411. 412: Atque hos omnes pulmonis usus noverunt, qui ante me scripsere: praeter quos ego alium addo maximi momenti, de quo ne per transennam quidem meminere. Est autem praeparatio, et paene generatio vitalium spirituum, qui postmodum in corde magis perficiuntur. Aerem namque per nares, et os inspiratum suscipit: nam asperae arteriae vehiculo per universum pulmonem fertur, pulmo vero aerem illum una cum eo sanguine miscet, qui a dextro cordis ventriculo profectus per arterialem venam deducitur. Vena enim haec arterialis praeterquam quod sanguinem pro sui alimento defert, adeo ampla est, ut alius usus gratia deferre possit. Sanguis huiusmodi ob assiduum pulmonum motum agitatur, tenuis redditur, et una cum aere miscetur, qui et ipse in hac collisione, refractioneque praeparatur: ut simul mixti sanguis et aer, per arteriae venalis ramos suscipiantur: tandemque per ipsius truncum ad sinistrum cordis ventriculum deferantur: deferuntur vero, tam belle mixti, atque attenuati, ut cordi exiguus praeterea labor supersit: post quam exiguam elaborationem, quasi extrema imposita manu vitalibus hisce spiritibus, reliquum est, ut illos ope arteriae aortae per omnes corporis partes distribuat. Non vereor quin novus hic pulmonum usus, quem nemo Anatomicorum hactenus somniavit, incredulis, atque Aristotelicis paradoxon videri debeat, quos oro, rogoque, ut pulmonis magnitudinem contemplentur, quae absque vitali sanguine permanere non poterat: cum nulla sit tam minima corporis particula, quae illo destituatur. Quod si vitalis hic sanguis in pulmonibus non gignitur: a qua parte transmitti poterat, praeterquam ab aorta arteria? at ab aorta arteria ramus nullus, neque magnus, neque parvulus ad pulmones mittitur. Nam quo pacto per venam, aut per arteriam venalem deferri sanguis vitalis ad pulmonem potest, cum neutra pulset? haec igitur, candide lector, quam dixi, arterialis vena constructa fuit, ut sanguinem eo, quo diximus, pacto elaboratum intro afferret ad cor ipsum: non ut a corde eliciat et extra ferat. Ad haec, quae diximus, illa etiam accedit ratio, Medicos tunc e pulmonibus manantem sanguinem coniectare, atque adeo certo scire, longo rerum usu edoctos, non modo quod cum tussi eliciatur, sed etiam quia floridus est, tenuis, et pulcher, ut de sanguine arteriarum quoque dicere consueverunt. — — Tu vero, candide lector, doctorum hominum

 stu-

studiose, veritatis autem studiosissime, experire, obsecro, in brutis animantibus, quae viva ut seces, moneo, atque hortor: experire, inquam, an id, quod dixi, cum re ipsa consentiat: nam in illis arteriam venalem illiusmodi sanguinis plenam invenies, non aere plenam, aut fumis, ut vocant, si Deo placet, capinosis, illi dumtaxat pulsus deest. Nam hic a corde proficiscitur: quemadmodum peroptime maximus Galenus probat eo libello, *An sanguis in arteriis contineatur, contra Erasistratum.*"

*Pag.* 218. *lin.* 3. add. GABRIEL FALOPPIA.

*Pag.* 219. *lin. penult.* et uteri tubas. add. *Rufus* iam *Ephesius*, illustris medicus sub initium Saeculi II. Tubas manifesto ex ove descripsit. Adponam ipsa verba viri e meo nitidissimo exemplo editionis *Guil. Clinch*, (Londini 1726. 4.) quod *Dm. Guil. Trilleri* fuit. Ita autem in libro I. περι ονομασιας των του ανθρωπου μοριων, pag. 40: Ἡροφιλῳ μεν γαρ ου δοκει το θηλυ κιρσοειδεις εχειν παραςατας· εν δε προβατου ὑςερα ειδομεν εκ των διδυμων πεφυκοτα τα αγγεια κεκιρσωμενα ἑκατερωθεν· συνετετρητο δε ταυτα εις το κοιλωμα της ὑςερας, ὑφ᾽ ὡν ὑπομυξον ὑγρον πιεζοντων απεκρινετο· και ην πολλη δοκησις σπερματικα ταυτα ειναι, και του γενους των κιρσοειδων· τουτο μεν δη ὁιον εςιν, αἱ ανατομαι διχα δειξουσιν. i. e. *Feminas varicosis assessoribus carere*, Herophilus *plane existimat: nos vero in ovis utero e testibus enata vascula, atque utrimque varicis instar revoluta conspeximus: haec autem in uteri cavum perforata subibant: e quibus mucosus quidam humor, si quis exprimeret, emanabat, magnaque erat spes, hos seminarios esse canales, et eorum generis, qui varicosi nuncupantur. Id autem ut se habeat, dissectiones seorsum declarabunt.*

Hunc Fallopium, Canonicum Mutinensem, primum Saeculi XVI anatomium dicit Cl. *Kurt Sprengel* (*Versuch einer Gesch. der Arzneikunde*) T. 3. pag. 516. Malefactores istis temporibus a Principibus Anatomicis tradebantur, teste *Fallopio* de tumoribus praeter natur. cap. 14. (Opp. Vol. I. Francof. 1600. fol. pag. 632.) Venet. 1563. 4. fol. 47. b. *Febris multum resistit veneno frigido, quod ego expertus sum Pisis in homine anatomizando. Nam Princeps iubet, ut nobis dent hominem, quem nostro modo interficimus, et illum anatomizamus, cui exhibui drachmas 2 opii: et paroxysmus (nam hic patiebatur quartanam) prohibuit opii actionem. Hic gloriabundus rogavit, ut bis adhuc exhiberemus: quodsi non moreretur, ut procuraremus pro eius salute apud Principem. Rursus illi exhibuimus extra paroxysmum drachmas 2 opii, et mortuus est.*

*Pag.* 231. *post lin.* 24. add. *Herrador y albeitar*, (de re veterinaria) *por* Francisco de la Reyna. En Burgos, 1564. 4. 1603. 4. En Alcala, 1623. et 1647. 4. Citatur a *Ios. Quer* in Flora espanola (Madrid, 1762. 4.

Tom.

Tom. I.) locus: *La sangre anda en torno, y en rueda, per todos los miembros.*

*Pag.* 234. *lin.* 11. *a fine: perniserat* add. medicus Norimbergensis a. 1569 — d. 5. Iul. 1576 in castris obiit.

*Ibid. lin.* 8. add. nunc eius duae sceleti humanae atque plurium animalium sunt in Theatro anatomico Norimbergensi.

*Pag.* 251. *lin.* 4. lege: *Salomo Alberti* proprie Naumburgensis, studiis operam navavit Vitembergae atque Lipsiae. Numquam vidit Italiam, postea Professor etc.

*Pag.* 265. *lin.* 20. add. Doctae Feminae Hispanae, *Olivae Sabuga de Nantes Barrera* circuitus sanguinis mentionem tribuit *Franc Solano de Luques,* (in Lapide lydio Apollinis, Madriti, 1731. fol. pag. 160.) in Olivae huius libro: *Dicta brevia circa naturam hominis;* s. *Vera philosophia de natura mixtorum hominis et mundi, antiquis occulta.* Madriti, 1587. 4.

*Pag.* 328. *lin.* 19. add. Lego iam a. 1605 Theses de lumbricis, a. 1608 Theses de Medicina, et a. 1613 cet.

*Pag.* 329. *lin. penult.* add. Autographum *Casp. Hofmanni* dono dedi Cl. *Grunero*, Prof. Ienensi, a. 1778, ut illud in publicam lucem proferat. Specimen edidi in Diarii litterarii Tomo quarto, pag. 80 seq. aliud publici iuris fecit *Grunerus* in Programmate 1776.

*Pag.* 331. *lin.* 20. emta; *add.* me curante 1773. uti Hallerus bene sciebat.

Insignis huius *Adparatus Galeniani* Casparis Hofmanni fata dixi in tomo IV mei Diarii litterarii 1777. pag. 70 — 85. Sunt Volumina et fasciculi XXXV. in fol. nunc Londini, apud D. *Iacobum Simms*, qui fuit inter haeredes D. *Antonii Askew*, amici nostri, cui omnem istum Adparatum m. Februario 1773 miseramus. Accepit *Askewius* m. Maio, ob mortem uxoris amatissimae mihique amicissimae, tam aeger redditus, ut cista paucos menses ante obitum (Hampsteadi prope Londinum d. 27. Febr. 1774) aperiretur. Quodsi convaluisset, ipse Londinum venissem adportaturus alium *C. Hofmanni* codicem, quem sua manu exaraverat, nimirum: *Analecta Correctionum Graeci Codicis* Galeni, *impressi Basileae an.* 1538. *Et respondent quidem folia et lineae citatae foliis et lineis dicti Codicis: verum tributi sunt libri in septem classes, ut vulgo in Iuntarum editionibus, et ultima Basileensi latina* (1562 *cum praefatione Conradi Gesneri*) *a Montano habemus. Inchoata Calendis Novembribus.* 1619. — — *nocuit differre paratis. Absoluta* 14. *Augusti* 1622. Casp. Hofmann, *Med. D. et PP. Altorfii Norimbergensium.*

Clas-

Classium haec est divisio: Το Φυσιολογικον, seu Classis prima. T ὑγιεινον, seu Classis II. Το αιτιολογικον, s. Class. III. Το σημειωτικον, s Class. IV. Το Φαρμακευτικον, s. Class. V. Οργανα εις την κλινικην, s. Class. VI Το θεραπευτικον, s. Class. VII. Quibus accedunt το αφοριςικον, et τα νοθα.

*Pag.* 342. *lin.* 12. add. Scriptus iam est anno 1575 hic liber ineptus cuius primam editionem anni 1619 habeo. Aliud exemplum *Haller* a. 1778 dono dedi. In Libro IV. Cap. 32. pag. 78. et 79. circuitus san guinis exponi creditur. Vid. mea diss. *Ueber den wahren Ursprung de Rosenkreuzer und Freymaurer*, pag. 49. Verba de humoribus in corpor humano: *Wasser ist des Menschen Balsam, und nehret ihn durch täg liche Abwechselung in seinem Circkel, dann der Mensch gehet, sitzet un wandelt in dem Wasser*, etc. Eodem modo in hocce libro ineptissim mentionem fieri dixisses insertionis vasorum lymphaticorum in vena rubras, iam ante *Mekelium* 1772, hisce verbis, pag. 79: *Dasselbig Wa ser muſs in dem ganzen Leib die unsichtige, subtilste und allerkleinest Luſſtgänge, Augenblicklich offen halten, und mit Hülff des Luffts d subtileste Speiſsgeister von der Theyung* (Verdauung) *hinein führen, un zu seiner Zeit wider durch tägliche Abwächſslung herausser, und zu de Auſsgang fördern.*

*Pag.* 347. *lin.* 26. Vindiciae — 1655. 4. pag. 194: *Caeterum Al dorfii Noricor. plurima secui animantia cum viva, tum suffocata; et i cane vivo non uno dissecto, idem immo praecipuum fere inveni exper mentum, ex quo non multo post* (1628) *doctissimus Harveus, totam M dicorum scholam, motum et circulationem sanguinis docuit, ut Medi etiamnum superstites testabuntur. Ego tum Iuvenis Phaedriae Tere tianae instar omnibus laetitiis incessi, statimque novum mihi visum inve tum ad Praeceptorem meum Dn. Hoſmannum detuli, certo mihi persu dens, vix alium sanguinis motum, nisi circularem esse posse, a quo t men eius consuetum* Pae *responsi loco tuli, cum hoc dicterio:* visne fie Circulator? — Puto, meram hoc fuisse Dieterici iactationem.

*Pag.* 365. *lin.* 7. *C. Hoſmann; add.* Inviserat illum Altdorfii Nor corum, d. 18. Maii 1636 *Guil. Harveius* cum Arundelio Comite; post ro die ita Hofmannus occaecatus praeoccupata sua opinione: *Spond tibi, si discussis nebulis,* veritatem *Hespero et Lucifero pulcriorem, oste deris mihi, me cum Stesichoro, palinodiam publice canturum, et in pa tes has concessurum. Et ne ambages quaerere videar, sensum tuum put esse talem,* sanguinem ex corde in arterias translatum *etc. Heic eg tecum primum rhetorice agam: I. Videris Naturam accusare stultitia quae tantopere erravit, in opere paene primario, confectione et distrib tione alimenti! Quo semel admisso, quid non sequetur confuſionis i aliis operibus, quae a sanguine dependent. II. Videris re ipsa damna quod verbo laudas, receptum ab omnibus elogium Naturae; neque de*

ce

*cere illum in necessariis, neque vero abundare in superfluis.* Respondet d. 20. Maii *Harveius* Norimbergae ad oratorias hasce *Hofmanni* criminationes, et pergit: *Si quae de* circuitu *affirmaram, oculis cernere volueris, illud spondeo, quod* Anatomicum *magis decet, quandocumque volueris et dabitur occasio, me praestiturum; sin illud autem nolueris, et neque per te ipsum investigare dissectionibus placuerit; noli, inquam, obsecro, aliorum industriam vilipendere, aut vitio vertere; aut homini probo, non prorsus inepto, nec deliranti,* in re toties per tot annos experta, *fidem derogare.*

Motum Cordis humani ut investigaret et perscrutaretur, Chirurgus quidam Paduanus Anno 1661 nimia ductus curiositate, interceptum militem quemdam, hominem innocentem, ope commilitonum suorum vinctum, nefario ausu vivum secuit. Cuius diri facinoris *Relazione d'un omicidio orrendo commesso d'un Cirusico Padovano* etc. italico scripta idiomate habetur, quae in vernaculam nostram versa Vratislaviae hoc titulo prodiit: *Relation, von einer schrecklichen* Mord-That, *die ein Barbirer in Padua begangen, zugleich in sich haltend Examen und Proceſs.* Georgii Paschii tract. de novis inventis; edit. sec. Lips. 1700. 4. pag. 487. Rarissimam istam narrationem nec *italice*, nec *germanice* Cel. Viri et amici *Lazarus Spallanzani, Simon Assemani* et *Ioh. Ephraim Scheibel* neque ipsi viderunt, neque pro me invenire potuerunt.

*Pag.* 385. *lin.* 5. *a fine* lege: *principes du chiromance.*

*Ibid. lin. penult.* add. 1667. 12.

*Pag.* 387. *lin.* 21. add. Latinae *Renati Descartes* Epistolae, et ex gallicis translatae, Amstel. 1668. et 1683. 4. Partes III.

*Pag.* 392. *lin.* 12. Leonicena *add.* Weslingii prosectore; pag. 486.

*Pag.* 396. *lin.* 16. vitam — recusam Hagae Comitum, 1651. 12.

*Pag.* 415. *lin.* 22. *iconem; add.* d. 7. Iulii, 1643 misit *Ioh. Ge. Wirsungus* epistolam cum icone (in fol. in aes incisa) novi inventi ductus pancreatis, quem illi iam a. 1642 in gallo indico monstraverat *Mauritius Hofmannus.* Haec epistola est in Bibliotheca Trewiana Altd. Nor. inter MSS. Num. 91. Vid. mea Memorabilia *Biblioth. publicarum Norimbergensium,* P. III. pag. 189. 190. *Mauritius Hofmannus* postea legavit 1698 florenos 50, ut anatomes professor ductum pancreaticum demonstrans acciperet unum florenum. Inde Ill. *Hallerus* pag. 416 emendandus, quando scripsit: *Publico etiam convivio quotannis audio hoc illustre inventum Altdorfii celebrari.* Magni Viri, *Morgagnus* et *Vallisnerius* iun. mihi Patavii a. 1760 eos invisenti adseverabant, verissima esse relata. Vallisnerius publice antea idem ita confirmavit: *Maurizio*

*Offman-*

*Offmanno in Padova mostrò prima del Virſungio il canal pancreatico* Vita del Cav. *Antonio Vallisneri.* Opere T. I. p. 49. Venez. 1733. fol.

*Pag.* 444. *lin.* 8. *ante fin.* add. Eiusd. *Cours de Médécine contenant toutes les choses qui composent l'homme et qui perfectionnent sa nature* — — — les expériences *du mouvément circulaire.* à Paris 1677. 4.

*Pag.* 459. *lin.* 11. *recuſum* add. Roterodami 1661. 4. 27 paginarum

*Pag.* 518. *lin.* 11 — 14. deleantur.

*Pag.* 592. *lin.* 15. add. Promiſit Sal. Reisel *G. W. Wedelio* (de med facul. Praef. ad Lect.) Sceleton perfectum, quod vel loqui poſſet.

*Pag.* 660. *lin.* 10 — 12. *a fine* deleantur.

*Pag.* 736. *lin.* 9. *a fine* add. *Theophili Alethaei* Epiſtola, qua oſtenditur, Sbaragliam fuiſſe provocantem. Patavii 1719. 4. Tribuunt *Dominico Guilielmino.*

*Pag.* 737. *a. lin.* 21. Lipſiae 1495. *b. lin.* 2. add. Nunc eſt in Bibliotheca Univers. Goettingenſis, inter libros Dom. *de Duve*, cui miſi 177

## *Ad Tom. II.*

*Pag.* 8. *lin.* 10. leg. *Angelus Fabbroni.*

*Pag.* 9. *lin.* 13. Huc pertinet *Duverney* a pag. 441.

*Pag.* 127. *lin.* 4. add. Edit. 2da edente Cl. Dom. *Hartenkiel.* Wirce 1784. 4. c. 8 fig.

*Pag.* 129. *lin.* 20. querelas; *add.* in litteris *Wachendorfii* ad *Hallerum* datis. Vid. Phyſiol. eiusd. edit. 2da. Tom. 8. 1778. 8. in praefa pag. VII.

*Pag.* 203. *lin.* 12. add. Edit. quarta, Goettingae 1780. curante Ce *Wrisbergio*, in 8. mai.

*Pag.* 212. *lin.* 10. add. *Germanice,* tomis 8. Berol. 1776. Huius operis quinquaginta annorum novam auctioremque editionem edidit I Auctor ſub tit. *De partium corporis humani praecipuarum fabrica functionibus;* Bernae et Lauſannae 1778. 8. Sed Libri tantummod decem, 8 Tomis prodiere, quibus me donavit poſt obitum Parentis Emanuel von Haller. Tomus II. duas habet tabulas aeneas, pericard aere turgidi a parte anteriori, et cordis obiter expreſſi, auricula dext anterius aperta. Additiones ſeparatim impreſſae ſunt, Bernae. 4.

*Pag.* 287. *med.* add. *Antonii Cocchi* diſs. de lente cryſtallina.

Pa

*Pag.* 316. *lin.* 4. *a fine: vasis metallo repletis.* add. *Guill. Stukeley* (pag. 124) pulmo plumbeus huc pertinet.

*Pag.* 317. *lin.* 10. add. Collegit haec scripta *Lieberkühnii Iohannes Sheldon*, Londini 1782. in 4. mai.

*Pag.* 370. *lin.* 10. *a fine* add. Vid. Epistolae ad Hallerum *latinae*, T. III. pag. 271.

*Pag.* 387. add. Dissectiones P. *du Tertre* in Insulis Antiliis factae, quas in observationibus physiologicis *Arnaldi Eloy Gautier d'Agoti* me legere memini.

*Pag.* 397. Edidit Ill. Vir. *Natuurkundige Verhandelingen over den* Orang-Outang *en eenige andere Aapsorten, over den Rhinoceros met den dubbelen Horen en over het* Rendier. Amsterd. 1782. 4. mai. c. 9 Tab. aen. *Germanice* von *I. F. M. Herbell.* Düsseldorf 1791. 4. mai. De isto egregio libro iam d. 21. Novembris 1780 ex praedio Lancumano ad me Cel. Auctor scripsit:

Linnaeus *simias paucas cognovit, atque confusionem tantam adhibuit, ut sane nullius pretii sint, quae de* Satyris *et* Bango *in suo Catalogo animalium inseruit.* Bangos *numquam vidit, etiam veterum Simias ab* Aristotele, *et* Galeno *exactissime descriptas plane non intellexit. Clar.* Pennanti *librum numquam obtinere potui; gaudebo si vestram interpretationem usurpare queo. Prostabit certo certius subito in librariis tum Amstelaedami, tum Hagae Comitum.*

*Si quid de figuris iudicare queo, illae Sinensium nihil certi indicare queunt. De iis Simiis agam in meo tractatu, iam sub prelo sudante, quas ipse dissecui, et ideo accurate examinavi. Eorum partes eas tantum describam, quae vel Veteres inlustrare possunt, vel Anatomicis utiles esse queunt. Collimavi praeprimis* Galeni *dare interpretationem. Addidi organa Loquelae, aliquot intestina, manus, pedisque ossicula; reliqua non tetigi.*

*Europaeorum linguae variae mihi tantum temporis abstulerunt, ut Sinensium, Asiaticorumque sermones negligere debuerim. Obstat etiam nunc senectus.*

*Iam vero otiari mihi licet. Interea varia animalia cultro subiicio. Hodie occupatus sum sectione Bradypi manibus didactylis* Linnaei. *Secui nuper speciem primam, miror Inl. Buffonii errores Daubentoniique. Supplementum iam dare possem; etiam sceletum; eum enim praeparabo.*

*Duodecim tabulae super Elephanto iam aeri insculptae sunt; desiderantur adhucdum sedecim, antequam historiam anatomicam edere queo. Secui marem, ex Vivario Principis Arausionensis. Multa detexi, multa vera ab* Aristotele *memoriae prodita reperi.* Galenum *vero circa cordis Eleph. ossiculum defendere non possum. Incredibile est, quam erroneae sint tabulae Perraltianae.*

*Iam possideo integrum caput Zoolithi incogniti, ab* Espero *descripti. Petrefacta multa adservo, illa in primis, quae ad hist. physicam Telluris nostrae explorandam apta sunt. Vale, Vir — — vive diu, felixque, atque Litteris Virisque doctis inservire perge! Commendo me Tibi et Tuis.*

In alia Epistola ita ad me: *Gratias ago sinceros pro munere, quo me honorasti. Perlegi satis curate animalium historiam. — Nihil magis placeret, quam nosse modum ad Te mittendi, quae edidi circa simias, Rhinocerotem, et Tarandum. Doleo sane, nam subito alium edere cogor librum, quo errores corrigam, quos satis multos non incuria commissos fuisse credo, sed quia tam difficile est, aliquid certi circa haec rara animalia determinare. Iam probe novi innumerabiles differentias inter Asiaticum et Africanum Rhinocerotem. Iam utriusque crania accepi, et nuper sceletum vituli etiam Londini, ubi tres menses posticos anni praeteriti transegi. Occasionem habui colligendi, quibus carebam, etiam non nisi nuperrime earum rerum, quae mihi necessariae erant ad finiendum opus de Elephanto.*

*Quotidie scrupulosior fio; innumera vidi, delineavi, descripsi, et in scriniis meis posui, quae omnia brevi prodibunt; sed res novae intercedunt: sic acquisivi omnia illa pretiosa petrefacta ex monte sancti Petri Traiecti ad Mosam cl. Hoffmanni. Super ea coniecturas dedi nuperrime ad Societ. Regiam Angliae, et figuras permultas, quas ut verae sint, propria exaro manu. Dedi etiam historiam animalis incogniti penitus, Dugonis Buffon. Tom. XIII, quod pro specie Trichechi habuit, uti tuus* Pennant, *et omnes, qui ex Buffonio sua hauserunt de hoc animali. Piscis caput est, plagiuri, qui ad Manatos pertinet, licet dentibus diversus. Ita Lacertae maximae sirenis Linnaei seu Ellisii anatomen Londini feci, et vidi, esse piscem verum, branchiostegum, ad muraenas pertinentem, sed spiraculis tribus, valvulis intermediis fimbriatis, quas frustra pulmones arbitrati sunt.*

*Accepi multa ossa petrefacta incognitorum animalium ex Monte Martyrum* (Monmartre) *Parisiensi, ex rupe Gibraltarensi, ex insula Lissa, ex Sibiria, America, cet. Multa notavi in Esperum, quem magni facio. Collectio mea iam ingens est, et quotidie crescit, quemadmodum aetas*

*aetas mea, nec diu gaudere potero his privilegiis, quoniam iam sexagesimum quintum annum vivo. Hac periodo adeo adfectus sum, ut publici iuris edere velim quantocyus, quae partim elaborata sunt.*

*Iam Inl. Comes* de Buffon *edet omnia mea observata circa cetaceos pisces; etiam Tabulas aeri incidi curat propriis expensis. Non tantum multos secui, sed nuper etiam cultro consecravi egregium Mysticeti foetum, quo innumera didici!*

*Etiam circa Hernias iam multas tabulas incisas, et paratas habeo, sed multum temporis requirunt, quae probe finire velimus. Non enim subito occurrunt, quae necessaria sunt, non semper ad manus nostras perveniunt. Iam vero nihil magis super haec desidero.*

